



# Disputatio metaphysica de quaestionibus prooemialibus tertia

<https://hdl.handle.net/1874/340884>

DISPUTATIO METAPHYSICA

D E

Quæstionibus Proœmialibus,

TER TIA

QUA M,

Favente Deo Opt. Max:

SUB P R A E S I D I O,

D. PAULI VOET; L. A. M.  
& Metaphysices in almâ Academiâ Ultrajectinâ Professoris,

Publicè tñeri conabitur,

IOANNES MUNNINCX Ultrajectinus

Ad diem 7. Septemb. horâ secundâ à Prandio.



ULTRAJECTI,

Ex Officina MAGIDII ROMAN Academiae Typographiæ

Anno cœlo XLII.

Nobilissimis, Amplissimis, Prudenterissimisque  
D. D.

Orphanotrophii, apud Ultrajectinos,

P R A E F E C T I S.

Nominatim vero

Speculatoribus, Consultissimisque

Ejusdem P. T. Curatoribus

D. CAROLO PERMENTIER { Illi Ecclesiae S. Salvatoris Canonico,  
D. CORNELIO DEUVERDEN { Huic urbis Ultrajectinae Scabino.

Mœcenatibus sibi, quoad vixerit, plurimum  
colendis.

NEC NON

HENRICO SYPESTEYN { Huic Orphanotrophii Notario solidissimo.

GERARDO HAUTMAN { Illi Quæstori fidelissimo.

S V M M I S

Suorum studiorum Fautoribus.

*Hasce studii sui Philosophici  
primitias,*

L. M. Q.

Inscribit & Offert,

IOANNES MVNNINCX

*Resp.*

# DISPUTATIO METAPHYSICA

D E

## Quæstionibus Proœmialibus.

T E R T I A ,

*An Metaphysica particularibus scientiis præscribat sua ob-  
jecta?*

**V**ti Dialecticæ cæteris omnibus scientiis subservientis, quædam sunt officia præter cognitionem sui objecti, ita & Metaphysices omnibus scientiis inferioribus imperant, quædam sunt munera respectu aliarum disciplinarum, inter quæ præcipuum ac primum est, assignare subjecta cæterarum scientiarum, atque ea si opus sit demonstrare. Non quod Metaphysica sui objecti theoriam ad praxin referat quemadmodum dialectica, non quod præscribat objectum disciplinis particularibus modo Practico, hoc aut illud jubendo ab hac vel illâ scientiâ tractari. Sed speculativè id facit, dum scilicet generales entis differentias perscrutatur, per quas ens partitur ad determinatores modos essendi. In his partitionibus progreditur eo usque, donec ostendat aliquid quod ip'sa tractare non possit, hoc igitur dimittit, & quia nihilominus est aliquid per se scibile, oportet ut ejus scientificam cognitionem persequatur alia aliqua scientia, & ita tali scientiæ, quæ sibi præscindit istud subjectum, censetur Metaphysica id præscriptisse. Neque ideo quicquam agit contra abstractionem sibi propriam, sed potius eam juvat, quia sine his divisionibus non posset Metaphysica suum objectum exactè cognoscere, nec secundum communem rationem entis, quæ cum analogia sit, non satis distinctè cognoscitur, non distinguendo modos, quibus contrahi potest, neque secundum eas proprias & speciales rationes, quæ à Metaphysica per se & exactè comprehendendæ sunt, quia non potest has rationes perfecte attingere, nisi ab aliis eas separaret ac distinguat. Præterea

terea non attingit particularium scientiarum objecta, in ista præscriptione, scientie ea tractando sive cognoscendo, hoc est, earum naturas & affectiones considerando, & demonstrando, sed solum præcognoscendo quæ cognitione consistit non in cognitione quidditativa, sed in his duobus. Primo ut cognoscatur quid nominis: Deinde, ut teneatur, as sit id quod potro inferiori scientiæ relinquitur. Ita V. G. distinguit Metaphysica substantiam in materialem & immaterialem, vel ut substantiæ immaterialis propriam rationem & considerationem assumat, vel quia ad scientiam pertinet proprias partes sui objecti aliquo modo considerare. Tradita autem huiusmodi divisione, substantiam immaterialem per se & directe considerat, omnia in universum tractando, quæ de illa cognosci possunt: Substantiam autem materialem non ita contemplatur, sed vel quatenus necesse est ad distinguendam illam a substantiâ immateriali, vel quatenus præcognoscat quid sit nominis, & an sit, vel quatenus isti substantiæ materiali convenient, prædicata quædam Metaphysica, quæ de illâ cognoscuntur; ut sunt, esse compositum ex actu & potentia, esse quoddam ens per se unum, & similia; quamquam hæc tractatio melius, indirecta sit indigetanda. Dicimus sub initium hujus questionis Metaphysicam scientiarum objecti si necesse sit demonstrare, quod significavit Averroes 3. de cœlo, comm. 4. dicens, *Metaphysica esse defendere, ac verificare subjecta particularium scientiarum.* Nec ratio est obscura. Quia cum præcognitione, quæ ad subjecti præscriptionem requiritar, contineat questionem an sit, atque illa questione requirat demonstrationem quod; sit præcognitione autem subjectorum, ut ante demonstratum est, pertineat ad Metaphysicam: necessario inde colligitur, Metaphysicæ esse verificare ac probare cuiusvis scientiæ objectum. Contentit Fonseca 1. Metaphys. c. 2. q. 1. Suarez Disput. Met. 1. sect. 4. num. 5. Dissentit Hurtados de Mendoza Metaph. disp. 1. sect. 5. qui ita: *Vnaquaque scientia sibi habet à natura præfixum objectum, non enim mutat in eo diligendo. Metaphysica autem nec scientias cognoscit, nec discernit earum objecta: immo nec cognoscit, sed quævis scientia habet reflexos aliquos actus quibus in proximis sua investigat objecta.* Dicimus dum quævis scientia habet sibi à natura præfixū objectū, tum illud nondum probatum est, sed ut notum ac certū assumitur, quemadmodum

modum quedam hypotheses per se & quasi in natura notæ affumantur. Ut vero hac probantur à Metaphysico, etiam si per se nota; ita & objecta cæterarum scientiarum in Metaphysico demonstrantur. Falsus autem in eo & Mendoza dum existimat Suarez & alios Metaphysicæ tribuere plenam ac scientificam objectorum cognitionem, solum admittunt præcognitionem, & aliqualem cognitionem sed eam indirectam addit potro. reflexos habent actus, quibus in protemiss sua investigant objecta. Sed hoc gratis dicitur, verum non probatur. Iste enim actus non sunt de ratione scientiarum : siquidem, ut Arist. docet. Poster. scientia non probat, sed supponit suum subjectum esse, & quid sit: ergo oportet ut aliunde sumat; itaque cum illud non semper se notam, sæpeque indigeat aliquā declaratione & probatione, oportet id sumere ex aliquā luperiore scientia, quæ non potest esse nisi Metaphysica, ad quam spectat considerare essentiæ, quidditatis & ipsius esse rationem.

*An scientia sit genus Metaphysices?*

Investigatio generis nulla accurasier esse potest, quam quæ sit per remotionem aliorum generum, de singulis videndum. cum sint quinque habitus intellectuales, oportet ut istorum unus Metaphysicæ competit. Atqui non est ars ut Ramæi volunt, nec prudentia, nec intelligentia, quæ singula non demonstro, quia tria, nec sapientia; superest igitur ut sit scientia, nonnulli ad Sapientiam excipiunt, cum ea Metaphysicæ tribuatur, & Metaphysica ab Arist. vocetur Sapientia. Concedimus & nos Metaphysicam esse Sapientiam, ita tamen ut Sapientia non sit genus: prædicata rei sunt vel quidditativa, vel æquipollentia, dicimus Metaphysicam & Sapientiam esse apud. Arist. æquipollentia, & non aliter differre ac Metaphysica & prima philosophia; non autem prædicata quidditativa seu genericæ. Dabimus Sapientiæ distinctionem, atque tum cuivis facile erit colligere, Sapientiam non esse genus. Sumitur hæc vox aliquandoque strictè pro habitu mentis quodam diverso ab habitu scientiæ, quo in ipsis principiis absque rationis discursu conclusiones cognoscuntur, verum scientia ut est genus Metaphysices aliquid plus dicit; hæc igitur acceptio nimis lata. Alias Sapientia sumitur pro habitu eo quo aliquid ita ratione

tione concluditur, ut ex primis, sive altissimis rerum principiis deditatur, tali sensu sapientia non potest esse genus. Quia si sapientia esset genus, apta nata esset inesse pluribus. At tale quid est sapientia ut ei desit aptitudo essendi in pluribus. Quia ut sic considerata, dicit dependentiam notitiae ex summis sciendi principiis. At non potest esse alia disciplina, præter Metaphysicam, quæ agat de summus sciendi principiis. Ergo nec alia disciplina potest esse sapientia, quod si detur alia quæ agat de summis sciendi principiis, ea iterum sola esset; atque nulla alia dare eur Metaphysica, quia unum tantum in quoque genere summum esse potest. Genuina igitur illa sententia est, quæ statuit scientiam esse genus, quod inde paret. . . quia dicitur disciplina speculativa ut autea probavimus, quare dicenda etiā est scientiam speculativum referetur ad scientiam. i. Quia omnis scientiæ requisita Metaphysicæ cōpetunt, ut sunt subjectū, causæ & affectiones. Sed hic pulverem ob oculos spargunt, qui negant scientiam posse tribui sapientiæ, cum sint oppositi habitus intellectivi, opposita vero non possunt quidditative de eādem re prædicari. Quod ad posterius membrum attinet, dicimus scientia sola prædicatur quidditative, sapientia æquipollenter de Metaphysica ut supra diximus. Deinde est ambiguitas in voce scientiæ, sumitur illa bifariam: aliquando significat notitiam conclusionis præcise & sic distinguitur & opponitur ad intellectum & sapientiam. Intellectus enim norat ibi habitum principiorum, sapientia cumpletebitur utrumque habitum. Hoc modo Metaphysica non est scientia, sed sapientia. Aliter sumitur vox scientiæ ut includat etiam notitiam principiorum. Tali sensu significatio scientiæ est frequentissima, & ita quicquid sapientia est, etiam erit scientia, quia hac significatione se habet scientia ad sapientiam, ut genus ad species. Atque ita inter scientiam & sapientiam non est oppositio, sed subordinatio vid. Suarez dis. i. Met. Sect. 3. num. 52. Alii circa conditiones scientiæ dubia movent, principium est circa causas, efficientem & finalem, quas negant Metaphysicam haberes, cum in suâ latitudine abstrahat à creato & in creato, quod omni caret causa. Resp. Ea non solum dicuntur principia probationis in scientiis, quæ sunt propriæ efficiens & finis, sed sufficiunt principia complexa ac communissima axiomata, item qualeuscunque rationes, quæ à no-

bis apprehenduntur priores attributis. Et hujus generis principia sufficiunt ad demonstrationem, saltem ad eam quæ est per impossibile. Suatetz d sp. 3. Met. Sect. 3. num. 6. Qui integrum est Suatetz vid. qui probat d.sp. 1. Met. Sect. 5. n. 8. Metaphysicam per omnia causarum genera demonstrare. Huic sententiae faveat Soncinas 4. Met. quest. 15. excipit solam causam materialem. Negat per causas, efficientem & finem, materialiam & formam demonstrare posse Metaphysicam. Screibl lib. 1. Met. c. 2. Tit. 4. cui & nos adstipulamur. Et lavellus lib. vi Met. quest. 1, qui per causas & principia intelligit tantum media, quibus probantur proprietates entis de ente, quæ ut sic possunt dici causæ & principia formalia in cognoscendo, verum non admittit principium vel effectivum, vel materiale, vel formale proprium sumptum. quia 1. tum etiam Deus talia principia haberet, quo absurdius nihil. 11. Quia ista genera causalium, sive principia incompleta, sunt entia per specialem participationem entitatis, atque adeo ente posteriora. Ergo non possunt esse causæ ipsius entis, vel affectionum ejus. 111. Quia si Metaphysica non demonstraret nisi per tales causas, tum de efficiente demonstrabit per efficientem, atque ita dabitur progressus in infinitum. Quod si quis præter demonstrationem, quæ est per impossibile, desideret in Metaphysicā demonstrationem à priori, illa dabitur primo ab ipsa entis essentiâ. Ita patet ex aliis scientiis, quæ affectiones suorum subjectorum demonstrant per singulorum essentias, veluti Physicus demonstrat naturales affectiones, & in specie affectiones hominis per ejusdem essentiam. Secundo per affectionem prius demonstratam, ex quâ alia fluit, quæ hoc ipso est principium alterius inde fluentis: ita inter divina attributa se habet independentia ejus, ad ejusdem immortalitatem, ut causa ad effectum inde fluens. Si cui hoc videbitur repugnare primæ causæ habere causam, ac primo principio habere principium. Is cogitet in genere entis quidem repugnare principium habere principium, quoniam ut sic esset aliquid prius eo, tamen comparando ipsum ad intellectum nostrum in ratione cognoscendi, non inconveniens est assignare principium, à quo incipiatur nostra cogitatio de primâ causâ.

COROL.

## R E S P O N D E N S

*Hæc Corollaria, adjicit.*

### I.

**E**xinde, quod Metaphysica versetur in tribuendo suum cuique scientiæ objectum elici non potest, hasce ei esse subalternatas.

### II.

Sola Metaphysica occupata est in contemplatione cujuscunque entis, quatenus ens est: attamen hinc non sequitur tractationem Prædicamentorum, & Causalium ad Logicam non pertinere, ut quidam volunt.

### III.

Metaphysica suam in inferioribus scientiis exercet dictaturam, quippe hæc omnium accuratissima omnium præstantissima est: Præstantissima vocatur cum ratione objecti tum ordine doctrinæ, qua Physicam præcedit. Accuratissima dicitur cum ratione principiorum, tum necessitatis, qua suffulta est; sed ex hisce tamen Metaphysicam esse sapientiam colligere non est.

F I N I S.